

ADOLPHI MEKERCHI  
BRUGENSIS I.C.

ΠΑΥΩΔΙΑ ΈΚΑΤΟΣΤΙΧΟΣ,

FRONTISPICII

EXPLICATIO.

IMMENSAM Terræ molem, vastique meatus  
Oceanis, toto sparsas & in æquore terras,  
Scriptorum multi veterum multique recentum  
Ingenio præstanti & rerum divite censu  
Hactenus aggressi, triplices tantummodo partes  
Invenere Orbis, quas nec describere plenè  
Posse datum est. Nostro id longè felicius ævo  
Præstitit ORTELIVS multas majoribus ausis:  
ORTELIVS, quem quadrijugo super aëra curru  
Phœbus Apollo vehi secum dedit, unde jacentes  
Lustraret terras circumfusumque profundum.  
Hinc olli Phœbum, qui conspicit omnia, prorsus  
Ignatas, alio penitus penitusque sub Orbis  
Axe sitas monstraſſe plagas, solisque retectas  
Indigenis, Orbemque novum, gentesque, virosque  
Detexiſſe ferunt, mundique arcana remoti.  
Ille igitur, studiis quo consulat, hocce THEATRVM  
ORBIS TERRARVM toti communicat Orbi.  
In quo non veterum errores, incertave tradit  
Somnia, sed tripode ex ipso certissima visa.  
Quoque magis mirere, tribus superaddidit Orbis  
Partibus hic binas alias, quas nemo priorum  
Vel fando audierat. Frontem solum adspice libri,  
Invenies etiam quod te pictura docebit.  
Arce sedet summa solio Regina superbo  
EVROPE, cuius viridis fastigia lambit  
Pampinus, & dulci vitis secunda racemo.  
(Nam colit Europe Bacchum, Bacchus colit illam.)  
Dextra manus sceptrum gestat, clavumque sinistra  
Admotum sphæræ, caput est insigne corona.  
Hæc reliquis Nymphis excelsior omnibus una est,

QVINQUE  
ORBIS PAR  
TES.

EVROPA.

*Et latè, auspiciis quondam victricibus armis  
Roma tuis, fines porrexit adusque calentem  
In Libyam, inque Asiam, divisosque orbe Britannos.  
Ejus & imperium proferre Hispania nuper  
Ausা, per ignotum pelagus nova regna, novosque  
Invenit populos, qui nunc NOVUS ORBIS habetur.*

ASIA.

*Adspicis à dextris ASIAM, quæ splendida Eoīs  
Tota nitet gemmis, tota est ornata lapillis.  
Hæc manibus plenam turis benevolentis acerram  
Ostentat, myrrham redolens, stactenque suavem,  
Et gummi croceum, pigmenta, & aromata, & omnes  
Assyrios fucos, Arabum prædictia dona.*

AFRICA.

*AFRICA parte alia est fervore notabilis ipso  
Æthiopissa, per insano Phaethonte perusta  
Infrenos dum Solis equos currumque fatigat  
Ignarus juvenis, nec flectere novit habenas,  
Ac terra propius carentem deprimit axem:  
Demens qui tantos animo conceperit ausus.  
Hinc habet illa caput radijs cinctum omne coruscis,  
Membraque perpetuum propter nudata calorem.  
At quia odorato sudantia Balsama ligno  
Ægyptus propriè sibi vendicat, hæc quoque Virgo  
Balsameum dextra ramum prætendit olientem.*

AMERICA.

*Inferiore solo quam cernis AMERICA dicta est:  
Quam nuper vectus pelago Vespucius audax  
Vi rapuit, tenero nympham complexus amore.  
Illa oblita sui, castique oblita pudoris  
Nuda sedet totum corpus, nisi vitta capillos  
Plumea vinciret, frontem nisi gemma notaret,  
Ambirent teretes nisi tintinnabula furas.  
Lignea clava olli in dextra: qua mactat obesos  
Atque saginatos homines, captivaque bello  
Corpora, quæ discessa in frusta trementia lenti  
Vel torret flammis, calido vel lixat aheno.  
Vel, si quando famis rabies stimulat mage, cruda  
Et jam cæsa recens, nigrisque fluentia tabo*

Mem.

B

Membra vorat, tepidi pavitant sub dentibus artus,  
Carnibus & miserorum & sanguine vescitur atro:  
Horrendum facinus visu, horrendumque relatu.  
Quid non impietas designat barbara? quid non  
Contemptus Superum?

Adspicis in lœva fœdatum cæde recenti  
Humanum caput. En arcum celeresque sagittas,  
Quæs solet, adducto dum flectit cornua nervo,  
Vulnera certa viris certamque infligere mortem.  
Mox defessa hominum venatu tradere somno  
Membra volens, lectum contextum rarius instar  
Reticuli, gemino à palo quem fixit utrumque,  
Conscendit, textoque caput reclinat & artus.

Haud procul hinc nitidum caput exserit ultima Nympha  
Virginis os vultumque gerens, pectusque venustum:  
Trunca manus & trunca pedes, vix cognita paucis.  
Hujus amore aiunt Magellum nuper Iberum  
Exarsisse, freto dum se commisit ad Austrum,  
Et vocitasse suo de nomine MAGELLANAM.  
Ille etenim tum forte, micantibus undique flammis,  
Incautam semel adspexit, sollemnia festa  
Dum parat: Hinc Virgo multo suffusa rubore  
Extemplo caput occuluit, furvoque seipsum  
Involutus fumo & fuscæ caliginis umbris.

At, ne fors iterum temere sese illa videndam  
Præbeat, hanc fixit memorem sub pectoreflammam.

Audisti quid prima foris tibi pagina monstret  
Spectator. ne siste oculos hic; inspice porro,  
Atque Orbem brevibus vastum metire tabellis.  
Sic poteris tutò regiones ire per omnes,  
Ignatasque inter longinqua per oppida gentes,  
Fluminaque, & montes, valles, maria omnia circum,  
Ac peragrange vagi quidquid capit orbita mundi.

MAGELLA  
NICA.

